



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

2. Paupertas probitatis magistra.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

II. (b) Deus etſi pedibus non utitur, mente tamen perambulat univerſa, & nimis quàm oculatè explorat mortalium omnium dicta, facta, cogitata: bona, malàque. Quoties pulſat divitum turres, pauperùmque tabernas, per inspirationes & inſtinctus cæleſtes, per quos, tanquam prodromos aut feciales ſuos admitti petit, audiriſque. Nihil tamen impetrat, niſi apud pauciſſimos, eòſque plerumque egentioris fortunæ, quibus paupertate magiſtrá ſtat virtus. Ex hac repulſa calamitates tam publicæ, quàm privatæ immittuntur, quibus peſſimè pereunt, quos nimia proſperitas extulit. Merguntur opes vel malè paratæ, vel malè adhibitæ; & gemino ſæpe naufragio cum bonis fortunæ jungitur corporis, animique interitus. Secus accidit ijs, quos pauperies virtutem docuit; rapiuntur quidem communi cum cæteris fato: ſed quia nec opum, nec eorum, quæ naſcuntur ex ijs, ſcelerum opprimuntur pondere, è jactura rerum fluxarum, in portum felicitis æternitatis enatant.

III. (c) Simplicitas, innocentia, & læta paupertas Philemonis ac Baucidis, mirum in modum delectavit Deos, mortali habitu peregrinantes. *Cum ſimplicibus*, aiunt ſacra proverbialia, *ſermocinatio ejus*, nempe Dei. Hos, ut Venerabilis notat Beda, cœleſtis ſapientiæ ſecretis illuſtrat, quia terreni faſtûs ac duplicitatis nihil habere conſiderat. Et Salomon loc. c. c. 19. *Melior eſt pauper, qui ambulat in ſimplicitate ſua, quàm dives torquens labia ſua.* Ille enim doli expers, candidè, innocenter, integregèque vivit; hic varias in artes & fraudes ſe vertit ac torquet, ut paret opes. Iterùmque cap. 15. idem profatur: *Melius eſt parùm cum timore Domini, quàm theſauri magni & inſatiabiles.* Nam ex his moleſtiæ, labores, angores, curæ conſervandi & augendi; & ſuperbia in habendis. Tenues autem facultates cum mente bona miram pariunt ſecuritatem, quietem, hilaritatem, modeſtiam, ſobrietatem. Vnde S. Chryſ. hom. in pſal. 4. Paupertatem vocat matrem philoſophiæ, id eſt, veræ ſapientiæ. Magnus laudator paupertatis Annæus, cum alijs locis, tum epift. 2. Honeſtiſſima res eſt læta paupertas; Cui cum paupertate bene convenit, dives eſt. Non qui parùm habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Quid enim refert, quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, quantum paſcat, quantum ſœneret, ſi non acquiſita, ſed acquirenda computat? Quis ſit divitiarum modus, quæris? Primus, habere quod neceſſe eſt: proximus, quod fat eſt. Cui, quod ſatis eſt, ſatis non eſt, nihil ei ſatis erit. Et Divus Bernardus de quin-

I i 2

que

(b) Paupertas magiſtra virtutum. (c) Paupertas læta eſt ſecura.